

discedere, donec detur locus conveniendi Judicem. Tertia (Ib. art. 1. ad 3.) est heresis, seu infidelitas compartis, juxta illud Apostoli ad Tit. 3. Hereticum hominem post unam & secundam correptionem devota. Ratio est; quia infidelitas est fornicatio spiritualis contra bonum proles, scilicet educandæ ad cultum Dei. Est tamen disparitas, quod propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit, in qua infidelitas perfitur. Si sit periculum in mora, idem dicendum ac de priori caso.

Quidam existimant, quod infidelitas non sit causa sufficiens divortii, si infidelis nec verbo nec exemplo compartem inducat in hæresim; quia in c. Quæstio de Divortio dicitur: Si conjugem suam ad infidelitatis maleficia traxerit, a viro poterit separari: ergo, si non traxerit, non poterit separari. Verum negari potest Consequentia: Jus enim ibi exprimit, quid liceat, si traxerit; tacet autem, quid liceat, si non traxerit; quod exprimitur alia Jura statuendo absolute & sine hac conditione, infidelitatem sufficere ad divortium c. ult. de Conjug. Conj. c. Illa de Divortio & c. Non solum causa 28. q. 1. Aliunde tempèr imminet periculum vel perversionis in conjugè, vel infectionis in proli; serpit enim heresis in cancer.

Si quæras: casu, quo unus sit hæreticus & alter adulter, fiet compensatio, ita ut neuter alterum possit dimittere? R. in Jure non statui compensacionem in hoc casu. Quod si uterque esset hæreticus, posset forè per sententiam Judicis compensatio statui.

Petes 4. Qua auctoritate possit & debeat fieri divortium? R. 1. (Ibid. art. 3. o.) Divortium quoad torum tantum posse fieri auctoritate privata, ubi parti certò constat de alterius adulterio, ita ut non teneatur debitum reddere exigenti, etiã si per censuram compellatur; quia Judex Ecclesiasticus fundatur in falsa præsumptione innocentie alterius. Excipe, nisi sit scandalum, forè quia alii suspicantur, contemni Censuras, aut Ecclesie præceptum, quod rarum est, cum reddito debiti in secreto agatur. Et hoc sensu intelligendus est Auctor hic, quando dicit, nisi per Ecclesiam compellatur, ratione scilicet scandali. Ratio responsionis est; quia per adulterium adulter amittit jus ad debitum, & ista actio non est publica, quæ indigeat auctoritate publica. R. 2. (Ibid.) Divortium publicum quoad cohabitationem propter adulterium occultum fieri non potest nisi judicio Ecclesie. Ita c. Seculares, causa 33. q. 2. ex Concilio Agath. c. 25. excommunicantur mariti, qui privata auctoritate dimittunt uxorem adulteram, antequam dissidi causas dixerint, & priusquam in judicio damnetur uxores. Ratio est; quia hujusmodi divortium est actio publica pertinet ad externam gubernacionem, quæ ideo absquè perturbatione & scandalo fieri non potest privata auctoritate. Adde, quod etiam non liceat privata auctoritate aliquem publice diffamare.

Dixi 1. Divortium publicum; quia multi volunt, quod maritus certus de adulterio suæ conjugis possit sine strepitu & occulte eam deserere sub prætextu peregrinationis, militie, mercaturæ, aut alio simili. In cujus confirmationem adducunt exemplum S. Joseph, qui B. Virginem uxorem suam voluit occulte dimittere. Verum ex altioribus rationibus hoc factum excusat Auctor his verbis: (Ib. ad 2.) Joseph voluit Virginem dimittere, non quasi suspectam de fornicatione, sed ob reverentiam sanctitatis eius, timens cohabitare ei. Nec tamen est simile, quia tunc ex adulterio non solum procedebatur ad divortium, sed ulterius ad lapidationem; non autem nunc, quando agitur judicio Ecclesie.

Dixi 2. propter adulterium occultum: quia probabilis est plurium opinio, quod ubi adulterium est ita publicum, quod nulla tergiversatione celari possit, ut si mulier post unum, aut alterum annum absentie mariti pariat, aut sit gravida, liceat marito non expectata Judicis sententia illam dimittere; quia tunc cessat periculum perturbationis scandali, & diffamationis; idque videtur significari c. Significasti de divortio, ubi dicitur: Si notorium est, mulierem ipsam adulterium commississe, ad eam recipiendam vir, qui illam dimiserat, cogi non debet; & c. Ex parte, desponsal. Nemini licet uxorem nisi ex manifesta causa fornicationis dimittere: ergo licet, si manifesta sit fornicatio. Idque videtur innuere Auctor, dum, postquam dixit virum non posse dimittere uxorem adulteram nisi judicio Ecclesie, addit: Nisi posset incontinenti fornicacionem probare. His non obstantibus, vix credo Ecclesie probari divortium publicum, factum ex quacunque causa, absquè ejus auctoritate.

Petes 5. Utrum conjux innocens teneatur nocentem emendatum, redire petentem, recipere? R. quod, si divortium sit ex judicio Ecclesie factum absolute, & non ad tempus, non teneri ex justitia; quia per sententiam Judicis est ab onere conjugali absolute liberatus. Unde potest assumere statum in-

compossibilem cum usu Matrimonii, ut Religionem, vel Ordinem sacrum. Si tamen reunio sit nocentem salutifera, & innocenti non graviter incommoda, charitas exigit, ut recipiatur.

Petes 6. Utrum conjux nocens teneatur, divortio etiam juridicè factò, ad conjugem innocentem eum revocantem redire absquè nova Judicis sententia? R. affirmative: Quia, inquit Auctor, (Ib. ad 2.) illud, quod inducitur in favore viri (idem dico de muliere) non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem. Unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire, si fuerit revocata.

DIGRESSIO HISTORICA.

De libello repudii apud Judæos.

Ad Præcedentem Dissert.

Libellus repudii apud Judæos scripto sub hac forma tradebatur: ergo Rabbi N. filius Rabbi N. filii Rabbi N. die 3. mensis secundi: anno a creatione mundi, &c. hic & in hac Civitate ex animi mei consensu & sine ulla coactione, repudiavi Rachel filiam Rabbi N. filii Rabbi N. & dedi illi libellum repudii in manu, Schedam abscissionis, & signaculum divisionis, ut sit a me abjecta, & abeat quocumque voluerit, ductique possit ab omni viro, nec eam quicquam prohibere præsumat juxta Constitutionem Moysis & Israël. Sic saltem circumfertur. Brevior apud Romanos erat forma libelli repudii, hæc nempe: Res tuas tibi habeto: vel, res tuas tibi agito.

Ut censeretur legitimus libellus repudii apud Judæos, 1. debebat scripto dari, & a Scribis publicis scribi, tum ut ex mora scribendi tardior esset maritus ad repudiandum, & locus daretur iræ: tum ut Scriba expendere causas repudii, & si injustas deprehenderet, denegaret libellum repudii, & ad pacem reintegrandam conareret. Causas repudii Scriptura non exprimit, nisi sub vocabulo communi scilicet spiritualis, vel corporalis. 2. Debebat ipsi repudiate dari. 3. Non debebat dari nisi ex legitima causa, quam tamen exprimere in libello non erat necesse.

Quæstio est, utrum repudium apud Judæos fuerit licitum, & per illud dissolveretur vinculum matrimonii, ita ut uxor repudiata posset licitè & valide alteri nubere? An contra esset tantum impunè toleratum ut minus malum, ad præveniendam majora mala, scilicet uxoricidia, in quæ valde erant propensi Judæi, ita ut per illud non solveretur vinculum matrimonii, & repudiata non posset licitè, & valide alteri nubere? Utramque sententiam ut probabilem sustinet, & utriusque argumenta solvit S. Thom. hic q. 67. art. 3. & 4. dicitque, secundam sententiam esse suo tempore communiorè; eamque tenet Hieronymus libr. 1. comment. in Matth. c. 5. Videitur tamen hodie prima sententia communior, pro qua

Dico. Probabilis videtur, libellum repudii apud Judæos Deo dispensante, fuisse licitum, eoque dissolvi vinculum matrimonii, ita quod mulier repudiata posset licitè & valide alteri nubere. Prob. ex ipsa lege repudii Deut. 24. ubi Moyses sic statuit: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam: & non invenerit gratiam autè oculis ejus propter aliquam fæditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua; cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque acceperit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; atqui hæc verba in sensu naturali, & obvio non important solum permissionem, seu tolerantiam minoris mali ad evitandum majus, sed etiam permissionem Juris, qua res sit licita, licet minus bona, & matrimonium inde secutum fit validum. Nam 1. dicit: Dimittet eam, quod non posset dici, si id esset illicitum, sicut nunc dici non potest: Si vir odio habuerit uxorem, dimittet illam; quia hoc nunc est illicitum. 2. Virum secundum vocat maritum: non esset autem maritus, si primum matrimonium subsisteret, & secundum esset nullum. 3. Dicit, quod, si is quoque oderit eam, dabit etiam illi, libellum repudii; solus autem maritus poterat dare libellum repudii: Subsistit autem secundum regulam ab Aug. traditam libr. 3. de Doctr. Christ. c. 10. verba Scripturæ, quantum fieri potest, intelligenda sunt in proprio, & obvio sensu, præsertim in legibus, quæ clarè debent exprimi, ne detur ansa continuis prævaricationibus, ut hic contingisset; nec Moyses alibi, cum exponeret res verè licitas, & non solum toleratas, aliter loqueretur: ergo. Confirm. Per hanc legem prior vir prohibebatur recipere uxorem repudiatam; atqui, si non esset dissolutum primum matrimonium, non erat prohibendum, sed potius optandum, ut uxor ad priorem, & unicum maritum rediret, ne perseveraret in adulterio: ergo.

Prob. (Suppl. q. 67. art. 3. o.) Lex vetus, quamvis gratiam non-

non conferret; tamèn ad hoc data erat, ut peccatum ostenderet, ut communiè SS. Patres docent. Undè, si Judæi repudiando uxorem peccassent, hoc saltem eis per legem ut Prophetas indicari debuisset, juxta illud Isaie 58. Annuntia populo meo scelera eorum; alias viderentur nimis esse neglecti, si ea, quæ necessaria sunt ad salutem, quæ non cognoscebant, numquam eis nuntiata fuissent; quod non potest dici, cum justitia legis tempore suo observata vitam mereretur æternam. Hæc & bene S. Doctor. Subsumo; atqui nunquam per legem, aut Prophetas fuit nuntiatum Judæis, eos peccare repudiando uxores, & repudiatis peccare nubendo alteri viro; quin e contra lege lata id fuit eis permissum: ergo. Conf. Quando in lege quædam permittuntur, seu tolerantur ut minus mala, alibi redarguntur, ut patet de usuris, quæ Judæis permittuntur erga alienigenas, & quæ reprehenduntur Ezech. 18. & Ps. 14. nullibi autem, ut dictum est, reprehenduntur Judæi, quod uxores repudiarent; & quod repudiata nova conjugia inirent: ergo.

Quantum ad S. Thom. Jam diximus, ipsum utramque sententiam defendere ut probabilem, & 3. contr. Gent. videtur inclinare in sententiam nostram oppositam. Sed in c. 19. Matth. dicit, quod, licet repudium inordinatum quid esset; noluit tamèn Deus, quod Judæis imputaretur ad culpam, quia scilicet in eo dispensaverat; & 1. 2. q. 102. art. 3. ad 3. dicit, quod Matrimonium in veteri lege non erat Sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesia; Quia dabatur in ea libellus repudii, quod est contra rationem Sacramenti; si verò non dissolveret Matrimonium quoad vinculum, sed solum quoad cohabitationem, non esset contra rationem Sacramenti, si quidem nunc divortium dissolvat Matrimonium quoad torum & cohabitationem, & tamèn non est contra rationem Sacramenti. Neque obstat, quod 1. 2. q. 105. art. 4. ad 8. dicit, repudium non fuisse simpliciter justum & q. 108. art. 3. ad 2. non esse per se justum; sic enim loquitur, partim quia ortum habebat ex duritia cordis, sic enim loquitur, attenda rei natura, non erat justum & licitum, sed ex sola dispensatione divina id consequebatur. Immeritò itaque quidam adversariorum præsumunt, quod, si Doctor Summan absolvisset, in eorum sententiam descendisset. E contra potiori jure præsumitur quod nostram sententiam amplexus fuisset, aut saltem quod hanc questionem problematicè tractasset, sicut fecit in comment. in libr. sentent.

Obj. 1. Christus Matth. 19. Pharisæis, interrogantibus de libello repudii, respondet Moysen ipsis eum permissè propter duritiam cordis eorum; atqui duritia eorum non excusat eos a peccato: ergo videtur, quod Moyses illis tantum permissit libellum repudii, non ut licitum, sed ut minus malum; quod posset fieri absquè punitione ad præveniendam graviora mala, sicut permisit illis fœnerari extraneis, ne fœnerarentur fratribus. R. (Ibid. ad 4.) quod quamvis duritia non excusaret a peccato, tamèn permissio ex duritia seu ejus occasione facta excusat. Quædam enim prohibentur sanis, quæ non prohibentur infirmis corporaliter, nec tamèn infirmi peccant per-

missione sibi facta utentes. Ad paritatem de usuris, disparitas est, quod usuræ alibi in lege reprehenduntur ut illicitæ, nullibi libellus repudii reprehenditur ut illicitus. Si dicas, his verbis Malach. 2. Cum odio habuerit, dimitte, juxta plures interpretes, Deum ironicè carere repudium quod patet ex verbis immediate sequentibus, Operiet autem iniquitas vestimentum ejus, nempe repudiatis. R. ibi agi, ut patet ex terminis, de repudio ex solo odio, sine causa legitima, quod licet recundum aliquos esset validum, erat tamèn illicitum.

Inst. Non est verisimile, Deum dispensasse generalitèr in lege nature, nisi propter aliquem finem honestum; sic dum dispensavit in lege Monegimiz, habebat pro fine multiplicationem generis humani; atqui hic non assignatur alius finis libelli repudii, quam duritia cordis: ergo. R. indulgentiam Dei, quia volebat consilere fragilitati Judæorum, fuisse causam sufficientem, ut permitteret illis libellum repudii.

Obj. 2. Deuter. 24. uxor repudiata, quæ alteri nupsit dicitur Polluta & abominabilis coràm Deo: ergo. R. (Ib. art. 4. ad 5.) dici pollutam & abominabilem coràm Deo, non immunditia culpæ, sed ejusdam irregularitatis legalis, sicut immundus dicebatur, qui mortuum vel leprosum tingeret; & ideo non licebat Sacerdotibus viduam, aut repudiatam ducere. Insuper juxta textum Hebræum & Græcum legitur: Quoniam hoc reddidit scilicet ad priorem virum est abominatio coràm Domino: quia libellus repudii datus, sic ut repudiata posset redire ad priorem virum, sapisset lenocinium, quasi mulier ad tempus esset alteri commodata, idque præbuisset occasionem Judæis facilius repudiandi uxores suas.

Inst. Jerem. 3. Mulier repudiata & alteri nupta comparatur fornicariis: ergo. R. Deum illic arguere a minori ad majus; & significare tantum, quod, licet lex non permitteret recipere mulierem repudiatam, ipse tamèn ex singulari misericordia recipere in gratiam populum Israël post multas fornicationes cum amatoribus suis, id est, post iteratam Idololatriam, quamvis esset major ratio ipsum rejiciendi, quam mulierem repudiatam.

Obj. Aug. libr. de bono conj. cap. 8. dicit, in libello repudii magis apparuisse exprobracionem divortii, quam approbationem; & c. 18. Sicut duobus, inquit, pluribusve servire, sic a viro viros in alterius transire connubium, nec tunc licet, nec nunc licet, nec nunquam licebit: ergo. R. ad 1. etsi in libello repudii apparuerit exprobratio divortii, quia scilicet non permittebatur tanquam ex natura sua bonus, sed ut bonus & licitus ex dispensatione, nihilominus permittebatur; sicut licet, Judæis petentibus Regem, in ejus institutione appareret exprobratio novi regiminis; dixit enim Deus Samueli: Non te abjecerunt, sed me; nihilominus Rex fuit institutus, & novum regimen, priore extincto, fuit erectum. Ad 2. palam est, Aug. loqui seclusa Dei dispensatione; non ignorabat enim, ex divina dispensatione, etiam in nova lege, Matrimonium infidelium etsi consummatum dissolvi per conversionem alterius ad fidem, & Matrimonium ratum fidelium per Professionem Religiosam.

DISSERTATIO VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN COMMUNI.

Div. Thom. Quæst. 50.

ARTICULUS I.

Quot, & quæ sint Impedimenta Matrimonii in communi?

Dico. (Suppl. q. 50. art. unic.) Impedimenta Matrimonii sunt duplex generis, scilicet, prohibentia, seu impedientia tantum, & dirimentia. Prohibentia, seu impedientia tantum dicuntur, quæ impediunt, ne Matrimonium contrahatur licitè, licet validè. Impedimenta dirimentia sunt, quæ impediunt, ne validè contrahatur, ita ut contractum eum hujusmodi impedimento sit nullum, & ideo debet dirimi, seu dissolvi. Quamvis autem (Ib. ad 1.) alia Sacramenta etiam impediri possint, aliquid, quod sit de eorum essentia, vel solemnitate, subtrahatur, specialitèr tamèn assignantur impedimenta pro Matrimonio; tum quia non solum est Sacramentum, sed etiam contractus; contractus autem a natura, lege, variisque aliis impediri potest: tum quia requirit pro materia duorum contractuentium actus.

Impedimenta impedientia tantum numerantur quinque, his verbis comprehensa. Theol. Billuart. Pars Tertiæ.

Ecclesia vetitum, nec non tempus feriatum, Atque Catechismus, Sponsalia, jungtio Votum. Plura olim fuerunt orta ex crimine; sed hæc, sicut Catechismus, qui erat quædam cognatio spiritualis orta ex Catechismo prævio ad Baptismum, desuetudine abrogata sunt. S. Thomas hic numerat tantum duo, scilicet Ecclesie vetitum, & tempus feriatum; quia alia, reducuntur ad impedimenta dirimentia, tanquam imperfectum ad perfectum sui generis, sponsalia ad ligamen, votum simplex ad votum solemnè, Catechismus ad cognationem perfectam, cætera ad crimen.

Impedimenta dirimentia olim numerabantur tantum duodecim, sed Jure novo Triid. addita sunt duo, scilicet clandestinitas & raptus. Undè nunc sunt quatuordecim, his versibus comprehensa

Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas, Si sis affinis, si clandestinus, & imps. Raptus sit mulier, parti nec reddita tutæ. Hæc socienda vetant connubia, facta retractant. Ggug

Conf.

Congruentiam numeri duodenarii adfert hic S. Doctor, Vide, si lubet.

Cum circa impedimenta impediencia vix ullæ sint difficultates, ea hic breviter explicabimus.

Per Ecclesiam intelligitur prohibitio, qua Papa, vel Episcopus, aut Parochus, aut Judex Ecclesiasticus prohibet ex justa causa matrimonii celebrationem. Et hæc prohibitio potest esse vel generalis, ut cum Ecclesia prohibet celebrare matrimonium sine prævis denuntiationibus, aut earum dispensatione: vel particularis, ut cum aliquibus prohibetur matrimonium contrahere ex speciali causa, v. gr. ut vitetur scandalum, ut dignoscatur impedimentum, de quo dubitatur, &c. videturque talis Ecclesie prohibitio graviter obligare; tum quia res est gravis; tum quia contravenientes gravibus poenis mulctat c. 2. de matrim. contracto.

Per Tempus feriatur intelligitur certum anni tempus, quo Ecclesia prohibet celebrari nuptias; quod licet olim protensus foret, nunc tamen post Trid. sess. 24. c. 10. de reform. matrimonii, est tantum ab Adventu usque in diem Epiphaniæ, & a die Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive. Porro his temporibus non prohibetur ab Ecclesia celebrare matrimonium simpliciter, sed tantum cum solemnitatibus, quales sunt nuptias solemniter benedicere, traducere palam sponsam, nuptialia convivia celebrare: ut patet tunc ex textu Trid. tum ex declaratione Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, tum ex Rituali Rom. Quia tamen homines carnales vix ab his solemnitatibus abstinere possunt, quovis tempore matrimonium ineant, ideo in quibusdam Diocesisibus in Adventu & Quadragesima matrimonii celebratio simpliciter prohibetur sine licentia Episcopi: & qui huic Ecclesie ordinationi contradicit, solemniter matrimonium celebrando præfatis temporibus, videtur peccare mortaliter, tum ratione inobedientie, tum ratione scandali.

Utrum vero interdictum generale, seu particulare, quod est censura Ecclesiastica, sub hoc vel præcedenti impedimento continetur? Respondent negativè plures graves Auctores, Navarrus, Toletus, Sá, Vivaldus citatus a Sylvio, nem Gornet, Heano, &c. Undè juxta illos licitum est illo casu & tempore celebrare matrimonium, modo tamen id fiat sine solemnitate. Cum enim, inquit, matrimonium sit res ardua, & ad quod homines habent a natura & inclinationem, & plenum jus, non est præsumendum, Pontifices velle: illud prohibere quoad substantiam per interdictum locale, vel personale absolutum, nisi de eo expressam faciat mentionem. Et hoc est probabile.

Per Sponsalia intelligitur promissio futurarum nuptiarum facta uni; quæ, nisi prius ex justa causa dissolvatur, impedit, ne cum altero, vel altera licitè contrahatur matrimonium. Dixi Licitè; validè enim contraheret, nisi sponsalia essent cum sorore illius, quacum per verba de presenti contrahit, propter impedimentum publicæ honestatis. Qui contrahit cum tali impedimento, peccat mortaliter. Per Votum, intelligitur votum simplex vel castitatis, vel Ordinis sacri suscipiendi, vel Religionis ingrediendæ, vel non nubendi. Undè tali voto obstructus non potest sine peccato mortali contrahere matrimonium; validè tamen contraheret; quia votum simplex est tantum promissio proprii corporis facta Deo ad continentiam servandam; res autem promissa manet adhuc sub dominio promittentis, & potest validè, licet illicitè, ab eo alteri donari. De quo fusiùs infra. In his quatuor impedimentis, nunc vigentibus, Episcopus potest dispensare, excepto voto simplicis castitatis, & Religionis ingrediendæ.

ARTICULUS II

Quis possit statuere impedimenta dirimentia Matrimonium?

Dico. Ecclesia potest statuere impedimenta dirimentia matrimonium. Prob. 1. Ex Trid. sess. 24. Can. 4. sic definitur contra Lutheranos: Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse; anathema sit. Idem Can. 3.

Respondet Lauojus, per Ecclesiam intelligendos esse Reges & Principes Sacerdotum. Sed contra 1. Quia omnes, vel ipsi pueri leviter instructi, per Ecclesiam intelligunt societatem fidelium sub regimine priorum Pastorum spiritualium, non Principes sæculares, nisi quatenus sunt & ipsi sicut alii fideles membra privata ejusdem societatis. Et, dum leges dicuntur latæ ab Ecclesia, nemo est, qui non statim intelligat primos Pastores, per quos Ecclesia loquitur, non Principes sæculares. Undè absurdè prorsus est, & communi sensui repugnans hæc Lauoji responsio a Concilio Ecclesiam intelligit eo sensu, quo intelligebat Lutherus, quem ibi damnat; alias

nihil definiret contra ipsum; atqui, quando Lutherus negabat, Ecclesiam posse statuere impedimenta matrimonii, non intelligebat per Ecclesiam Principes sæculares, si quidem eos solos asserere posse hujusmodi impedimenta statuere, sed intelligebat Superiores spirituales, & Pastores Ecclesie: ergo.

Prob. ex perpetua traditione, & praxi Ecclesie. Concilium Eliberit. ann. 315. secundum alios 305. can. 15. 16. 61. & 66. statuit, non posse iniri conjugia cum infidelibus aut hæreticis, nec cum sorore uxoris. Concilium Ancyran. ann. 314. can. 11. irritat matrimonium viri cum puella a se rapta. Concilium Neocæsariense eodem ann. can. 1. confirmat impedimentum Ordinis. Concilium Agathense ann. 506. cap. 61. statuit diversos gradus consanguinitatis & affinitatis dirimentes matrimonium. Concilium Lateran. IV. ann. 1215. cap. 50. impedimenta consanguinitatis ad 4. gradum contraxit. Quantum ad uxorem docet, conjugia cum Ethnicis esse prohibita. Aug. l. 15. de civit. c. 16. sic scribit. Quis dubitet, honestatis hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse conjugia; Gregorius Magnus l. 12. Ep. 31. ad Augustinum Anglorum Episcopum dicit, non esse attendendum ad Legem Romanorum permittentem matrimonia in 2. gradu, sed tantum posse iniri in 3. & 4. gradu. Nicolaus I. sæc. 9. ad consulta Bulgar. c. 39. consanguinitatis gradus statuit, inier quos matrimonium contrahi non possit: ergo.

Respondent, Ecclesiam usurpasse hanc potestatem in præjudicium potestatis Regis. At dicunt vclim, quis primus Pontificum hanc potestatem usurpavit? Quis Principum sæcularium reclamavit? Quin e contra hanc in Ecclesia auctoritatem ipsimet agnovissent, & venerati sunt. Enimvero, & hinc corroboretur probatio, Virgilius, qui sedit ann. 540. irritavit matrimonium Theodeberti Francorum Regis cum vidua Fratris sui. Leo III. renuntiavit Pontifex ann. 795. dirimit matrimonium Henrici I. Castellæ Regis cum filia Regis Luituaniæ propter impedimentum consanguinitatis. Gregorius V. creatus Pontifex ann. 996. irritum pronuntiat matrimonium inter Robertum Regem Gallie & Bertam ejus consanguineam. Chlpericus in cap. editis ann. 995. art. 2. & Carolomagnus in Congressu Lipinensi cap. 3. jubent, ut incestuosa matrimonia iudicio Episcoporum emendantur. Idem Carolus M. l. 5. Capit. nom. 5. & 7. quod confirmavit exemplo, repudiatis post sententiam Episcoporum Bertam filiam Regis Longobardorum propter inhabilitatem ad generationem. Denique id liquidò apparuit in Concilio Trident. cum Oratores Galliarum instantè nomine Regis postularent, ut per sacrum consensum matrimonia clandestina & filiorumfamilias sine consensu Parentum irritarentur; quorum primum concessit sacra Synodus, secundum denegavit.

Prob. 3. Ratione. Christus instituendo Ecclesiam, illi contulit potestatem condendi leges, optimo & sancto ejus regimini necessarias, sicut decet omnem Rempublicam bene ordinatam; atqui nemo negat, quin bono communi & sancto Ecclesie regimini apprime necessarium sit impedire matrimonia, ex quibus oriuntur gravissima inconvenientia in animarum perniciem, atque in eversionem boni communis, & publicæ tranquillitatis: ergo. Confim. Omnis Respublica civilis habet potestatem statuendi Impedimenta irritantia contractus, ubi id exigit bonum publicum; & idque ipsi Calvinistæ fecerunt circa contractus matrimoniales, ut constat ex statutis Ecclesie Genevensis. Quidni hanc potestatem a fortiori haberet Ecclesia? Nominè Ecclesie intelligitur Papa & Concilium generale; quia eos præcipuè spectant, quæ ad Ecclesie tranquillum regimen sunt necessaria. Episcopus autem quamvis fortè vi sui Jurisdictionis pro sua Diocesi, & Concilio Nationale pro natione possint statuere impedimenta matrimonium dirimentia, antiqua tamen & universalis Ecclesie consuetudine hæc potestas videtur eis adempta.

Dices. Ecclesia non potest mutare materiam Sacramenti ergo R. Hoc argumentum jam prius esse solum, & iterum infra fore solvendum, dum de clandestinitate. Interim breviter nunc dico, per appositionem impedimenti irritantis contractum matrimonium non mutari materiam Sacramenti formaliter, sed materialiter tantum; non enim efficitur, quod contractus legitimus non sit materia Sacramenti, quod esset illam mutare formaliter; sed efficitur, quod contractus, qui alioquin foret legitimus, jam non sit legitimus; sicut, qui mutaret vinum in acetum, non mutaret materiam consecrationis formaliter, semper enim vinum esset materia consecrationis; sed mutaret materialiter, in quantum efficeret quod id, quod erat vinum, jam non sit vinum.

Quæstio intricatior est, an etiam Principes sæculares possint statuere impedimenta matrimonii; circa quam adeò variantur & implicentur sententiæ, ut nulla plene satisficiat. Ea nobis videtur planior & expeditior, quæ dicit Principes sæcu-

enlaret per se loquendo, & attentæ præcibè potestate Regia, posse statuere impedimenta matrimonii; attentò tamen præsentium seruo statu non posse. Ratio 1. partis est; quia contractus civiles subjacent Juri civili, & legibus Principum, quibus possunt irritari; atqui matrimonium est contractus civilis, & in contractu civili fundatur ratio Sacramenti: ergo potest irritari Principum legibus; & eo irritato irritatur Sacramentum in eo fundatum.

Atque ita sentire videtur S. Thom. hic q. 50. art. unico ad 4. ubi dicit: Matrimonium, in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ, in quantum est Sacramentum, statuitur lege civili; & ideo ex quavis dicitur legum potest aliqua Jure divino, in quantum est in officium communitatis, statuitur persona efficit ad matrimonium contrahendum illegitima. Idem docet contr. Gent. c. 78.

Confim. Principes Infideles, fatentibus omnibus, possunt opponere impedimenta matrimonii: ergo & Principes fideles, non enim per fidei immunitatem errorum potestas. Neque obstat, quod Christus matrimonium fidelium elevavit ad dignitatem Sacramenti; nihil enim idem mutavit in natura contractus, ita quod contractus validus sit Sacramentum, invalidus non sit Sacramentum: penes autem Principem est statuere conditiones, quibus positus sit validus, aut invalidus contractus.

Ratio 2. partis est; quia Ecclesia, sive, secundum aliquos, annuentibus, aut saltem non contradicentibus Principibus sæcularibus, sive, secundum alios, auctoritate sua suprema, sibi soli vindicare causas matrimoniorum; ut patet ex Trid. sess. 24. Can. 12. sic definitur: Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare Judices Ecclesiasticos; anathema sit. Idem jam diu antea statutum erat in Jure cap. Multorum 35. q. 6. & cap. Accidentibus de excessu Prælat. Atque istud jus agnoscent, & venerantur Principes sæculares, ut vidimus in 2. probatione Conclusionis: videturque expressa sententia Auctoris hic q. 57. art. 2. ad 4. ubi dicit, quod Prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesie auctoritas, quæ idem etiam interdicit: attentò scilicet præsentium rei statu. Undè, nisi tenes eam, quam proponimus, sententiam pro utraque ejus parte, vix S. Doctorem poteris conciliare.

Ex quo inferes 1. Quod, si quæ sint modò, aut in posterum statuatur a Principibus sæcularibus impedimenta matrimonium dirimentia, non valeant nisi ad effectus civiles, ut tunc exhereditatio, recessio donationum, privatio omnium, quæ vi consuetudinis, aut contractus matrimonialis obvenire possunt, &c. ut declaravit Custos sigillorum Regiorum nomine Regis Gallie circa Edicta Henrici III. & Ludovici XIII. ad supplicationem Clerici Gallicani, de quo supra, dum de matrimonio filiorumfamilias. Et etiam patet ex Jure Canonico, revocantè plura impedimenta statuta a Jure civili l. Filiusfamilias ff. de ritu nuptiarum, & l. Tutor de sponsalibus. Inferes 2. Infidelis, sive in terris fidelium existat, sive non, non teneri legibus Ecclesie circa matrimonium; quia ejus potestati non subjungitur: teneri autem legibus suorum Principum Infidelium, si illis subjungatur. Inferes 3. Fideles, ubi vis locorum existant, teneri legibus Ecclesie circa matrimonium, quia, sive sint Hæretici, sive Apostatæ non desinunt esse subjecti Ecclesie ratione characteris baptismalis indelebilis. Excipe legem de impedimento clandestinitatis propter specialem hæc de re Tridentini dispositionem, de quo infra.

ARTICULUS III

Quis possit dispensare in impedimentis dirimentibus Matrimonium? Ubi plura de dispensatione.

Suppono, nullum mortalium posse dispensare in impedimentis, quæ sunt Juris naturalis, ut sunt ligamen, votum solemnè, impotentia; & quæ propter defectum consensus dirimunt, ut sunt error, vis, & amentia. Impedimenta autem Juris divini nulla sunt nunc, antiqua lege abrogata. Quæstio igitur est de impedimentis Juris Ecclesiastici, ut sunt servitus, Ordo, consanguinitas, affinitas, cognatio, tam legalis, quam spiritualis, publica honestas, crimen, clandestinitas, & raptus.

Dico. Ecclesia potest dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium. Ità Concilium Trid. sess. 24. Can. 3. sic: Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimentur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, & dirimant; anathema sit. Ratio est; quia ejus est dispensare in legibus, cujus est leges concedere. Hæc autem potestas residet in summ. Pontifice, ad quem ut ad supremum Ecclesie caput visibile, quæcumque sunt Juris Ecclesiastici, spectant: Theol. Billuart, Pars Tertia.

Episcopi tamèn, sive ex delegatione expressa, vel tacita, sive ex usu approbato dispensant in aliquibus impedimentis etiam publicis, & matrimonium præcedentibus, idque varitè in variis Diocesisibus. In his partibus dispensant in tertio, & quarto gradu consanguinitatis; quia in re servandus est usus receptus, cuique Diocesi proprius. Plura scripsi circa præsentem dispensationis materiam in Tract. de Legibus Dissert. 5. art. 3. per plures §§. quæ hic ex integro repetere longum foret. Quapropter summam repetendo.

Dixi 1. Episcopus ex consensu tacito summi Pontificis dispensare in iis, quæ non patiuntur moram; ut si, omnibus ad nuptias præparatis, innotescat impedimentum, & matrimonium absque gravi scandalo differri non possit: item in impedimentis occultis, quæ superveniunt matrimonio, contracto cum bona fide saltem unius partis: item in impedimento petendi debitum ex copula incestuosa in primo, vel secundo gradu affinitatis §. 1. Dixi 2. Summ. Pontificem dispensare illicitè sine justa causa in impedimentis matrimonii, sicut in aliis legibus; validè tamen: Episcopos verò, nec licitè, nec validè §. 2.

Si petas, quæ sint causæ dispensandi in impedimentis dirimentibus matrimonium? R. Prima est inveteratæ discordiæ, aut gravis litis compositio. Secunda, singulare meritum Oratoris in Ecclesiam; aut ingens pecuniæ summa in urgentes Ecclesie necessitates expendenda. Tertia, conservatio illustriū famaliæ intra eundem sanguinem, aut etiam amplissimarum in ea divitiarum. Quarta, si una pars, sive vir, sive foemina non potest sine gravi incommodo invenire compartem suo statui convenientem, ut si debeat deserere suum oppidum. Quinta, periculum gravis infamiæ, aut scandali. Sexta, si votum castitatis, cujus petitur dispensatio, admodum difficile servari possit.

Præter has rationes sunt aliæ nunc, juxta stylum Curie Romanæ, communiores, & quarum aliqua apponi solet in formula dispensationis, licet non fuerit expressa in libello supplicis. Prima est, si copula intercesserit inter Oratores petentes dispensationem super gradus consanguinitatis; quæ si habita fuerit ex intentione, ut facilius obtineatur dispensatio, id debet exprimi, quia tunc difficilior conceditur dispensatio, & gravior imponitur poenitentia: quod si omittatur, dispensatio est nulla. Secunda est, si sit vehementis suspicio copulæ ex nimia familiaritate inter Oratores. Tertia est atque pulchæ excedens vigesimum quartum annum, & hæc de causa manentis inuuptæ. Quarta, angustia loci, ut in pagis, & parvis oppidis, ubi incolæ sunt fere omnes consanguinei, aut affines. Quinta, periculum hæresis in vicinia Hæreticorum. Itaque aliqua ex his quinque causis, juxta stylum Curie Romanæ, solet nunc exprimi in petitione dispensationis: si tamen his prætermisissis exprimantur aliæ, & Papa in dispensatione, omissis quæ fuerant expressæ, exprimat unam ex quinque præfatis, non ideo censetur dispensatio invalida; sed præsumitur, quod, quamvis causa allegata ab Oratore sit iudicata sufficiens, non tamen est expressa in dispensatione, quia non est de stylo Curie. Undè, quamvis expressa in dispensatione non subsisteret, si subsistat expressa in petitione, valida est dispensatio.

Dixi 3. Dispensationem esse obreptitiam, quando allegatur falsum pro ea obtinenda; esse subreptitiam, quando reticetur verum; & quod, si obreptio, aut subreptio cadat supra causam principalem dispensationis, hæc sit nulla: item probabilis, si cadat super causam impulsivam tantum, ex malitia allegantis; secus, si ex ejus ignorantia, vel simplicitate ibid. §. 4. Dixi 4. quod subreptio, seu reticentia veri, per se, & intrinsecè ad rem pertinet, seu error circa substantiam moralem rei, reddat dispensationem nullam: similiter reticentia eorum, quæ stylus Curie Romanæ requirit, quando in ea petitur dispensatio, ibidem: quæ autem exprimi requiratur stylus Curie, ibidem dixi. Dixi 5. Dispensationem peti a sacra Dataria in triplici forma; in forma nobilium, honestorum, & pauperum: Pauperes non censeri nisi sint tales, ut de suis laboribus, & industria tantum vivant. Hanc particulam tantum necessariò debere apponi in petitione, alias nullam fore dispensationem. Debentque esse pauperes ex utraque parte: Pauperem autem ex Pirrho Corrado censeri, qui non habet in bonis quinquaginta aureos. Ibid. §. 4. Hæc, inquam, omnia fusiùs explicata require locis citatis. Nunc ad majorem Lectoris instructionem sequentia addo.

Primum. Clarissimus vir Daëliman Doctor Lovaniensis Quæst. ult. Obser. ult. de Matrimonio scribit, illos debere censeri pauperes, qui sive in mobilibus, sive in immobilibus habent duo, vel tria millia florenorum: tum quia si peterent in forma honestorum, deberent majori parte hujus summae spoliari pro dispensatione, pro qua petitur mille, vel duo millia florenorum, juxta gradum propinquitatem, & sic fierent pauperes: tum quia hæc pauca bona sunt eis quasi instrumentum; quo labore & industria fructuosè operari valeant, nullos inde percipientes fructus; aut ita modicos, ut pro nihilo reputentur. Addit In-

dati Theologus, Nuntium Apostolicum sic iudicare, quod Oratores a Patre his ad ipsum mittuntur.

Secundum. Ex Trid. Sess. 22. de Ref. c. 5. Dispensationes Romæ concedantur in duplici forma, nempe in forma commisorii, quæ non tam est dispensatio, quam mandatum dispensandi factum illi, ad quem diriguntur Litteræ Apostolicæ; & in forma gratiosa, quæ est propriè dispensatio.

Tertium. Duplex est Romæ Tribunal, ad quod recurritur pro dispensationibus obtinendis, scilicet, sacra Pœnitentiaria, & Dataria. Hæc sunt inter utrumque discrimina. 1. Dispensationes pro impedimentis occultis conceduntur in sacra Pœ-

nitentiaria; pro manifestis, aut facillè manifestandis, in Dataria. 2. In Pœnitentiaria gratis conceditur dispensatio; in Dataria autem solvitur juxta propinquitatem graduum, & conditionem personarum, vel nobilitatem, vel honestatem, vel pauperum, ut diximus: hæc autem pecuniæ impenduntur in propagationem fidei, vel in alios usus pios. 3. Dispensatio sacre Pœnitentiariæ valet tantum pro foro interno. Dispensatio Dataria valet pro utroque foro. 4. Quando petitur dispensatio a Dataria, debent exprimi Oratorum nomina; non in sacra Pœnitentiaria, quia in ea agitur de crimine, aut impedimento occulto.

## DISSERTATIO VII.

## DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS IN PARTICULARI.

Div. Thom. Suppl. a Quæst. 51. ad 61.

DE impedimento, quod dicitur *vis*, dixi, dum de consensu requisito; de impedimento ligaminis, dum de Poligamia; & de impedimento rapus in Tract. de Temper. Dis. 6. art. 4. §. 2. Ubi inter alia singularem Honorati Tournely hæc de re opinionem confutavimus. Vide locis cit. ne eadem repetere cogamur. Nunc ergo de cæteris impedimentis.

## ARTICULUS I.

De Impedimento erroris, & conditionis.

QUADRUPLIX error circa matrimonium contingere potest, scilicet error *personæ*, quo quis credit esse talem personam, v. gr. Mariam, & est Berta, non quidem quoad nomen tantum, sed quoad personam nominatam. Error *conditionis*, servilis scilicet, quo quis creditur habere qualitatem; quam non habet, v. gr. quod sit Virgo, Catholica, Sobria, &c. Error *fortune*, quo quis existimetur dives, & est pauper. Ita in Jure causa 29. q. 1. cap. unico. De hoc igitur quadruplici errore Quæstio nunc est, præsuppositis tamen iis, quæ scripsi Diss. 1. de Contractibus art. 3. quæ prælegi debent.

Dico 1. (Suppl. q. 51. art. 2. a.) Error personæ Jure naturæ dirimit matrimonium. Prob. (Ibid.) Matrimonium non est sine consensu in objectum primarium, & substantiale matrimonii; atqui error personæ tollit hunc consensum: ergo. Prob. Min. Objectum primarium, & principale Contractus Matrimonialis est hæc determinata persona; atqui error personæ tollit consensum in hanc determinatam personam, dum quis credit contrahere cum Berta, & est Joanna: ergo. Idque verum est, etiamsi error sit vincibilis, & supinus; quia hic non agitur de culpa committenda, sed de consensu necessario, qui deest, etiamsi error sit vincibilis. Item verum est etiam, si error non sit antecedens, sed dans causam contractui; sed concomitans tantum, & non dans causam contractui; quia, licet tunc non sit involuntarium positivè; est tamen negativè, seu non voluntarium. Undè, si contrahas cum Joanna credens esse Bertam, ita dispositus, quod, si scires esse Joannam, nihilominus contraheres, nullum est matrimonium: non enim indè fit, quod de facto habeas voluntatem contrahendi cum Joanna, sed tantum quod haberes, si scires; consensus autem tunc actualis fertur in Bertam, & non in Joannam. Confer locum cit. de Contractibus.

Dico 2. Sicut consensus requiritur ad matrimonium, ita intentio requiritur ad Baptismum. Sed si quis baptizaret Joannem, & credit baptizare Petrum, nihilominus Joannes verè est baptizatus: ergo error personæ non excludit matrimonium. R. D. Maj. (Ibid. art. 1. ad 3.) *Ly sicut* dicente omnimodam paritatem, N. dicente aliqualem, C. Disparitas est igitur inter matrimonium, & alia Sacramenta, quod matrimonium sit contractus, & quidem talis, qui non solum est inter personas sed etiam de ipsis certis, & determinatis personis, quæ se ipsas hinc inde tradunt ut materiam contractus, ita ut intentio contrahentis feratur in talem personam cum exclusione aliarum. Undè, sicut alii contractus, si supponatur res alia, quam ea, de qua conventum est, irriti sunt, ita & matrimonium. Alia autem Sacramenta neque sunt contractus, neque qui ex confert, ordinariè habet intentionem ad personam Petri, vel Pauli determinatè cum exclusione aliarum, sed ad personam præsentem; ac proinde, si putans baptizare Petrum baptizet Joannem, Joannes est verè baptizatus. Si tamen haberet intentionem ad Petrum cum exclusione aliorum, nullum esset Sacramentum Baptismi.

Dico 2. Inter Liam & Jacob fuit verum matrimonium; sed ibi fuit error personæ: ergo. R. D. Maj. (Ibid. ad 4.) Inter Jacob, & Liam fuit verum matrimonium ex ipso concubitu, seu consensu, qui per errorem contigit, N. ex consensu, qui postmodum accessit, C.

Repones. Benedictio Isaac errantis in persona fuit valida: ergo. R. 1. Cum Aug. libr. 16. de Civit. c. 37. & aliis D. Ant. Fuit valida ab initio, N. per ratificationem sequentem, quam Isaac, fraude detecta, & voluntate Dei cognita, ex instinctu divino fecit, C. Responderi potest 2. Intentionem Isaac fuisse benedicendi filio præsentem, non satis discernens, àn is fuerit Jacob, àn Esau.

Dico 3. Sicut emptio est quidam contractus, ita & matrimonium; atqui in emptione, & venditione, si detur aurum æquivalens pro alio auro, non impeditur venditio: ergo nec matrimonium impeditur, si pro una muliere alia accipiatur. R. N. (Ibid. art. 2. ad 7.) Conseq. Disparitas est, quod pecunia in contractibus accipiatur quasi mensura aliarum rerum, ut patet §. Ethic. c. 5. & non quasi propter se quisita; & idè, si non detur illa pecunia, quæ creditur, sed alia æquivalens, nihil obest contractui: sed, si in te quisita propter se esset error, impediretur contractus; sicut, si alicui venderetur asinus pro equo, & similiter in præsentem.

Dico 2. (Ibid. o. & in res. ad arg.) Error qualitatis, aut fortunæ non dirimit Matrimonium, nisi involvat errorem personæ, aut limitet consensum contrahentis. Prob. (Ibid.) Error qualitatis, aut fortunæ est error circa accidentia Matrimonii; atqui error circa accidentia non irritat contractum: ergo. Prob. Min. Non obstante errore circa accidentia, habetur consensus in objectum principale, & substantiam contractus; atqui is consensus sufficit ad contractum, ut diximus loco cit. de Contractibus: ergo. Confir. Si error qualitatis, aut fortunæ irritaret Matrimonium, vix ullum subsisteret, cum ut plurimum errent conjuges circa qualitates, & fortunas alterutrius: ergo.

Dixi 1. (Ibid. ad 5.) Nisi error qualitatis involvat errorem personæ; tunc enim dirimeret, non ut error qualitatis, sed ut error personæ. Censetur autem error qualitatis involvere errorem personæ, quando consensus contrahentis fertur primariò, & directè in illam qualitatem, seu in personam sub hac qualitate; & tunc censetur intendere directè, & primariè hanc qualitatem, quando antequàm personam cognoscat, concipit personam, cum qua vult contrahere hic, & nunc sub certa qualitate non communi, ut est bonitas, opulentia, virginitas, sed particulari, & individua, ut quod sit filius Regis, quod sit primogenitus talis familie. Undè, si contrahens intendat consentire in Filium Regis, ut primogenitum, quicumque ille sit, & alter ei offeratur, est error personæ dirimens Matrimonium. Si verò prius personam cognoscat, & cum ea vult contrahere, quamvis moveatur qualitate, circa quam errat, non censetur intendere directè, & primariè illam qualitatem; nec idè error hujus qualitatis involvit errorem personæ, nisi apponatur ut conditio; & idè.

Dixi 2. Nisi error qualitatis limitet consensum contrahentis. Si enim non intendat contrahere, nisi adsit talis qualitas, deest consensus in personam, ea qualitate non subsistente: talis autem limitatio debet esse actualis, seu saltem virtualis ex præcedente actuali; nec sufficit habitualis, aut interpretativa; exinde enim sequitur tantum, quod non consensisset, si error abfuisset, sed non fit, quod de facto non consensisset in substantia Matrimonii; & alioquin quot forent Matrimonia irrita cum sint penè innumeri, qui si novissent defectus comparis, no-

## DE MATRIMONIO.

nolissent contrahere. Vide loco cit. de Contractu conditionato art. 7. §. 1.

Dico 1. Error ex natura sua tollit Matrimonium: ergo omnis error. R. D. Ant. (Ibid. ad 1.) Error ex natura sua genericè tollit Matrimonium, N. ex sua natura differentiali, C. Non enim habet error ex parte generis, quod tollat Matrimonium, sed ex parte suæ differentie, proit scilicet est error alicujus eorum, quæ sunt de essentia Matrimonii.

Inst. Error tollit Matrimonium, in quantum tollit voluntarium; sed omnis error tollit voluntarium: ergo. R. D. Maj. (Ibid. ad 2.) Error tollit Matrimonium, in quantum tollit voluntarium circa substantia Matrimonii, C. circa accidentia, N. Et similiter D. Min. Omnis error tollit voluntarium circa ea, circa quæ versatur, C. circa alia, N. Undè, si versetur tantum circa accidentia Matrimonii, facit involuntarium circa illa, sed relinquit voluntarium circa substantia.

Dico 2. Error paupertatis in dante eleemosynam irritat illam, ita ut pauper factus teneatur illam restituere; atqui est ibi tantum error qualitatis; quia scilicet putatur pauper, cum sit dives: ergo similiter in Matrimonio. R. N. Conseq. & paritatem. Disparitas est, quod paupertas sit objectum substantiale, & finis per se & directus eleemosynæ; datur enim in sublevamen miserie realis alienæ: undè talis error versatur circa ejus substantiam. At verò in Matrimonio qualitates personæ non sunt objectum substantiale, nec finis per se consensus, sed ipsa persona, nisi aliter exprimat.

Dico 3. Consensus matrimonialis est indivisibilis: ergo qui consentit in Bertam virginem, non censetur in illam consentire, si non sit virgo. R. D. Ant. Consensus matrimonialis in objectum substantiale Matrimonii tantum est indivisibilis, C. in objectum substantiale simul & in accidentale, N. Undè potest subsistere circa objectum substantiale, licet non subsistat circa accidentale.

Dico 3. Error conditionis, seu servitus ignorata ab altero contrahente libero, dirimit Matrimonium. Jure positivo, non naturali. Per conditionem igitur intelligitur hic servitus non qua quis inservit alterius officii, ut sunt ancillæ & famuli in his partibus; sed qua quis ut verum mancipium est totaliter in potestate Domini tanquam ejus possessio. Exulavit a Christianismo, saltem in his partibus: undè quæ eam spectant, paucis perstringemus. Prima pars constat ex Jure c. 2. §. & ultimo de conjug. servor. & cap. Si quis ingenuus causa 29. quæst. 2.

Quæst. 2. pars. Si servitus ignorata ex natura sua dirimeret Matrimonium, etiam scita dirimeret, sicut impotentia perpetua sive scita, sive ignorata dirimit; atqui servitus scita non dirimit Matrimonium: ergo nec ignorata.

Si dicas, quod servitus scita non dirimat Matrimonium, quia tunc pars libera cedit juri suo. R. 1. Quod sive cedat, sive non cedat, non potest efficere, quod id, quod de se dirimit matrimonium, non dirimat, ut patet in exemplo alio impotentis. 2. Injuria, quam patitur ignorans, non sufficit ad dirimendum Matrimonium, quando adest consensus in substantia Matrimonii, ut patet in aliis contractibus, quos injuria passi non irritat de facto, sed tantum facit irritabiles, si non sint aliunde indissolubiles, qualis est contractus matrimonialis. Eaque videtur aperta mens Auctoris hic q. 52. art. 1. ad 3. dicentis: *Jure positivo determinante est factum, quod servitus ignorata Matrimonium impediatur, ne aliquis sine culpa puniatur.*

Undè, quando S. Doctor hic & art. præced. probat ratione, servitatem ignoratam dirimere Matrimonium, non adducit rationem convincentem, sed convenientem tantum, qua motum fuit Jus positivum, ut tale impedimentum statueret. Nec enim distinetur Jus humanum, quo irritatur Matrimonium contractum ex errore servitutis, habere maximum fundamentum in Jure naturæ, eò quod sit magna inæqualitas in tam gravi contractu, cum pars libera tradat plenam sui corporis potestatem, serva autem restrictam, & secundum quid impeditam: tum etiam quia officit aliquo modo bono proli, quæ non ita commodè posset educari in tali conjugio, eò quod non posset esse continua & libera habitatio conjugum simul. Hæc tamen rationes non sufficerent, ut de se dirimerent Matrimonium, nisi accederet Jus positivum; alias servitus scita, ut dictum est, etiam dirimeret, cum eadem incommoda importet.

Dico 4. Error servitutis versatur circa substantia Matrimonii: ergo Prob. Ant. Versatur circa potestatem mutam in corpora, in ordine ad debitum conjugale: ergo. R. N. Ant. ad Prob. D. Ant. Versatur circa potestatem mutam, quæ simpliciter impediatur, N. quæ impediatur secundum quid, C. Servus enim, licet non possit tam facillè & tam liberè reddere debitum, potest tamen absolute & quandoquæ; alias, etiamsi sciretur servus, non staret matrimonium; idem enim esset sicut de impotentia perpetua. Undè semper hic habetur ob-

jectum substantiale consensus matrimonialis, scilicet vera potestas simpliciter tradita, licet quidem non ita expedita: & idè diximus, tale impedimentum fundari in Jure naturæ.

Dixi 1. *Servitus ignorata*; quia si alter contrahens sit consensuens servitutis comparis non dirimit, eò quod censetur cedere juri suo. Dixi 2. *Ab altero contrahente libero*; quia, si ipse etiam sit servus, non dirimit matrimonium; quia tunc nulla fit ipsi injuria, sed habetur compensatio. Quod si liber eredit servam, quæ est libera, validè etiam contrahit, quia tunc nihil est in præjudicium, sed potius in commodum alterius contrahentis.

Petes 1. Utrum servus, vel serva possit licitè & validè contrahere matrimonium sine consensu Domini? R. affirmativè; (Ibid. q. 52. art. 2.) quia, sicut servus non subditur domino, quin liberè possit comedere & dormire, & alia hujusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis pertinent; ita non subditur ei quantum ad hoc, quod non possit liberè contrahere matrimonium, quod est necessarium ad conservationem speciei.

Dico 2. Servus est Domini: ergo. R. D. Ant. Servus est Domini quantum ad civilia, quæ naturalibus superadduntur, C. quantum ad naturalia. N. In his enim omnes sunt pares, adeoque servus sui juris quantum ad hæc.

Petes 2. Cujus conditionem proles sequi debeat; àn Patris, àn Matris? R. (Ibid. art. 4.) Quod, quantum ad libertatem, seu servitutem debeat sequi conditionem matris, ita ut proles sit serva, si patre libero mater sit serva; e contra proles sit libera, si patre servo mater sit libera. Ita decernunt Jura civilia, ut partus sequatur ventrem; & ita declaravit Pontifex cap. unico de nat. ex libero ventre: idque rationi conformiter 1. Quia, licet proles habeat a Patre complementam formæ; a matre tamen habet substantiam corporis; atqui servitus est corporalis conditio, cum servus sit quasi instrumentum Domini in operando: ergo. 2. Quia, ut communiter dicitur, receptum est in recipientem per modum recipientis, & non per modum dantis: ergo rationale est, quod semen receptum in muliere ad conditionem ipsius trahatur. Ubi autem est contraria consuetudo, quod proles sequatur conditionem patris, tenenda est. Cap. Licet de conjugio servor. Et similiter, ubi est consuetudo quod semper sequatur deteriorem partem; licet talis consuetudo non sit multum rationalis, inquit S. Doct. Quantum autem ad ea, quæ pertinent ad dignitatem, ut sunt honores, hæreditates, nobilitates, &c. proles sequitur conditionem patris; quia habet a patre quod est dignius, scilicet complementum formæ.

## ARTICULUS II.

De Impedimento Voti.

DUPLEX est Votum; aliud simplex, aliud solemne, de quibus dixi Dissert. 4. de Religione art. 5. De utroque procedit Quæstio. Undè sit

§. I. Utrum Votum simplex impediatur, & dirimat matrimonium subsequens.

Dico. (Suppl. q. 53. art. 1. o.) Votum simplex, sive castitatis, sive Religionis ingrediendæ, sive Ordines sacros suscipiendæ, sive non nubendi, impedit matrimonium licitè contrahendum; non dirimit contractum. Ita in Jure c. *Minimum*, & c. *Consulati*: Extra l. 4. tit. qui clerici vel voventes, & c. *Hæc verò* causa 27. q. 1. Prob. (Ibid.) Homo per votum simplex, ut in conclusionem, potest adhuc, illicitè quidem, validè tamen tradere alteri suum corpus; atqui in tali traditione consistit matrimonium: ergo Prob. Maj. Et ita. Quod illicitè, patet; quia tenetur adimplere votum. Quod validè, probatur: Post votum simplex homo remanet adhuc dominus sui corporis: ergo potest validè illud alteri tradere. Prob. Ant. in voto simplici non est nisi promissio corporis ad continentiam Deo servandam; atqui ex eo quod aliquis promittat rem aliquam, non desinit res illa esse in ejus potestate & dominio; rerum enim dominia non transferuntur promissione, sed traditione: ergo.

Dico 1. Fortius vinculum abruptè debilius; atqui votum Deo factum est fortius matrimonio: ergo. R. D. Min. (Ibid. ad 1.) Est fortius quantum ad id, cui fit & ad quod obligat, hoc est dignius, C. Min. Quia per votum obligatur Deo ad continentiam; per matrimonium autem obligatur uxori ad redditionem debiti. Est fortius quantum ad modum & vim ligandi, N. Min. Quia per matrimonium traditur actualiter vir in potestatem uxoris, non autem per votum simplex, ut dictum est; potior est autem conditio possidentis: undè argumentum quidem valeret de sponsalibus, sed non valet de matrimonio.